



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. LXXV. Romana fideicommissi de Incasatis. An Statutum Urbis  
inducens vocationem filiorum in conditione positorum suffragetur  
nepotibus ex filio prædefuncto, eosque capiat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

in consequentiam alterius, quod non prohibetur, Nihilominus *num. 18. & sequen.* fatendo hanc opinionem dictæ rationi innixam esse magis communem, ac veram, & in iudicando tenendam, admittere videtur rationem prædictam, quæ verè videtur probabilis, quia in effectu est inducere plures præsumptiones in idem.

Alteram ponderabam differentiam rationem satis efficacem, quod in casu conditionis expressæ Statutum dici non potest odiosum, ac à juris dispositione exorbitans, cum satis controversa sit quæstio præsertim apud antiquiores de tempore emanati Statuti, quando per modernas decisiones non erat adeò firmata negativa, undè Statutum aliud facere noluit, nisi ad lites dirimendas veriorum declarare unam opinionem, quo casu dicendum non est exorbitans, neque juri contrarium *Burg. de Pax in præm. ad leg. Tauri num. 432. & sequen. Rovir. pragm. 1. de assassin. num. 36. Rot. decis. 20. num. 7. par. 3. recent. ubi Adde. num. 39.* Non sic est in altero casu conditionis tacitæ, in quo rejectis modicis contradicentibus, ferè concors ac recepta est sententia negativa, itaut *Theo. jun. in addit. ad decisionem 96. lit. B. in fine* dicat indubitatum, ideoque Statutum dicitur exorbitans, & juris correctorium, quoties expressa etiam lege deficiente adversatur alicui omninò receptæ DD traditione ex deductis per *Adden. ad dictam decisionem 20. par. 3. recent.* Ideoque magna resultat differentia inter unum casum & alterum, atque in Statutis receptissimam propositio est illa interpretari debere, ut quàm minus fieri potest exorbitant à jure, illiusque correctionem inducant.

Tertiam ponderabam rationem, meo iudicio satis efficacem, quod quando filii expressè ponuntur, in conditione per testatorem, tunc habetur istius certa voluntas, quod de eis cogitaverit, illosque voluerit substituti præferri, cum istos per illos exclusit, & sic præsumptio vocationis per Statutum inducta innititur voluntati, nedum veræ & certæ, sed etiam verisimili, stante quod testator eos habuit in intentione, ac expressè contemplatus fuit; Hoc autem dici non potest in altero casu conditionis tacitæ, quoniam admittendo etiam istam non resultare à sola dispositione, seu fictione legis, sed à voluntate testatoris, ita per legem præsumpta vel subintellecta, semper tamen est præsumptio, neque dici potest, quod testator cogitaverit vel contemplatus fuerit, ut in altero.

Observando etiam, quod dum Statutum utitur verbo *ponere*, ut supra dictum est, id denotare videtur actum facti, ut istud verbum plurimis modis exemplificando observant *Calepin.* verbo *ponere*, & ex nostris *Reluff. in l. hac verba 124. ff. de verb. signif.* Ac etiam quod Statutum quando habuit intentionem aliquid tacitè subintelligendi, id expressit, ut constat ex eius verbis, ibi, *filij postri in conditione fideicommissi censeantur ad illud tacitè vocati*, ergo quando voluit significare actum tacitum expressit, signum quod noluit, ubi loquendo de positione non dixit, ut verisimiliter doctus *I. C. Lucas Petus*, qui de Superiorum mandato fuit Statutorum compilator, rectè sciens quæstionem, fecisset; Sed veritas esse videtur, quod cum tunc ardua esset quæstio, an filii in conditione positi censerentur vocati, atque incertum qualis esset magis communis, & in iudicando recipienda, Hinc proinde voluit ita tot litium anfractus in huiusmodi casu tollere, atque canonizare eam opinionem, quæ fortè placebat sibi, seu probabilis doctissimo *I. C. Gregorio XIII.* de cu-

jus mandato hæc moderno Statutorum compilator facta fuit; Et nihilominus sufficere debet materiam reddi dubiam, ut pro reo conveniendum esset, ex triplici axioma, nempe, ut in dubio contra actorem, Secundo in dubio pro interpretatione Statuti, ut minuetur à jure communi, Et tertio quod in dubio excludione gravaminis & fideicommissi utrumcumque dispositio dictarum legum cum omni acutissimi directæ sit ad faciendum deficere eorum, ac inducendam libertatem bonorum, autem ad inducendum fideicommissum favorabilem, quos subintelligit, Atque hanc esse esse veritatem; Sed his non obstantibus præstat scitur ex quo fundamento in contrarium præsumptio in gradu verò appellacionis causa per contrarium terminata fuit.

## ROMANA FIDEICOMMISSIS DE INCASATIS

PRO

CAMILLO CARANDINO

CVM

ANNA MARIA PERINTIA

*Discursus arbitramentalis.*

An Statutum Urbis inducens vocacionem filiorum in conditione postulorum suffragetur nepotibus ex parte prædefuncto, eosque capiat.

SYMMARIVM.

- 1 **C**Asus controversæ.
- 2 De regula quod appellacione filiorum non capiunt nepotes sub statuto.
- 3 Contrarium reputatur verum.
- 4 Quod nepotes in conditione alii veniant appellacionum.
- 5 Quod statutum Urbis non sit de directo contra postulorum.
- 6 An statutum prohibens matri disponere extra filios suffragetur nepotibus.
- 7 Quod statutum Urbis suffragetur omnibus in conditione postulis etiam si universa linea posita sit in conditione.

DISC. LXXV.

**I**oannes Paulus de Incasatis, in ejus testamento heredem instituit Cosimum filium, cuius filii prædefuncta jam dicta Imperia substituta, tempore obiisset Cosmus superstiti Camillo, pote ex alia Imperia filia prædefuncta, ex ejusdem Cosmi dispositione quædam

competeret Perintia impugnata per Camillum venientem ex persona propria tanquam in conditione positum, & successivè ex Statuto Urbis 42. vocatum, Hinc initio compromisso in me, & alterum Advocatum, Collega credebatur casum esse planum pro Perintia ex auctoritate Rota in Rom. fideicommissi 27. Maji 1642. coram Ghislerio impressa decis. 84. par. 9. recent. ubi punctualiter deciditur dictum Statutum disponens filios in conditione positos censeri vocatos, non suffragari nepotibus ex filio prædefuncto, ex regula, quod appellatione filiorum non veniant nepotes ex deductis dec. 507. & 667. par. 2. recent. cum quibus absque ulteriori discussione vel ratiocinio dicta decisio pertransit.

Quamvis autem profiterer apud me maximam esse Rotæ auctoritatem, ita ut ob ejus reverentiam vix auderem solus contra ejus resolutiones de directo judicare, Non tamen induci potui ad acquiescendum dictæ decisioni, in ejus obsequium intellectum captivando, unde propterea Collegæ insinuavi quod nisi ipse, qui maximus erat Jurisconsultus, alia insinuaret fundamenta, intellectum captivanti, abstinuissem potius à judicando, cum dicta decisio non satisfaceret.

Quæstio enim agitata in allegatis decisionibus 507. & 667. par. 2. recent. procedit in vocatione dispositiva, de qua supra disc. 70 & seqq. Nos autem versabamur in vocatione conditionali longè diversa à præcedenti, cum in ea, cessantibus conjecturis, regula sit ut sub nomine filiorum non veniant nepotes, in ista verò est totum oppositum, quia acceptissimum est nepotes & quoscunque alios descendentes venire juxta theor. Bart. in l. liberorum n. 18. ff. de verb. signif. quam cæteri communiter sequuntur, de quibus Fusar. q. 413. n. 3. cum sequen. Cicin. dec. 467. dec. 243. n. 4. p. 2. divers. Rom. success. 27. Maji 1647. Bichio, & in aliis quotidie; Si ergo nepotes deficere faciunt conditionem, atque preferuntur substituto, erga quem testator dilectionem ostendit, ita pari ratione venire debent sub Statuto inducente illorum vocationem, cum eadem militet ratio, cujus identitas attendenda est, quia non agitur de Statuto omninò exorbitanti à jure claro ejusque correctorio, sed potius de canonizante unam licet minus communem opinionem in juris articulo dubio, quo casu dici non potest contra jus.

Conferre quoque dicebam in idem ea, quæ ex Theaur. jun. & Merlino, & aliis firmantur in Urbevet. fideic. 15. Junii 1661. coram Alberгато, & de qua sub tit. de dot. dis. 106. ut scilicet statutum disponens matrem de suis bonis disponere non posse, nisi inter filios, procedat etiam favore nepotum, qui ex filiis prædefunctis essent superstitites, præsertim quia eadem Rota sæpius firmavit (ita ut hodie sit propositio plana) quod si testator in conditione posuerit nepotes, vel posteriores descendentes, sive universam lineam, omnes isti ex eadem statutaria dispositione censentur vocati, ut decis. 424. n. 1. par. 2. recent. dec. 479. num. 2. par. 5. Romana seu Sabinen. fideic. 22. Maji 1656. coram Dinozetto inter suas dec. 984. & in aliis, unde liquet ab eodem Statuto non considerari aliquam differentiam inter unum descendendum gradum & alterum; Et ex his mea sententia erat, non quidem positivè arbitrandi contrarium in Tribunalis reverentiam, sed remittendi concorditer puncti determinationem eidem Rotæ, cujus laudabilis stylus est benignè audiendi oppositiones, atque agnita veritate de facili recedendi ab ejus resolutionibus, quoties eas esse in subsistentes

ostendatur, Sed ob subsequantam Collegæ mortem aliud in causa actum non fuit, neque innotescit, an aliàs idem articulus fuerit in Rota disputatus.

## ROMANA FIDEICOMMISSI DE CINCIIS.

PRO

MATTHÆIO & TORRES

CVM

HÆRÈDIBUS MARIJ CINCIJ

Discursus ad veritatem.

Positis in conditione filiis, ac nepotibus per alternativam, vel etiam copulativam, An censentur omnes ex Statuto Urbis vocati per fideicommissariam, vel potius per solam vulgarem.

### SUMMARIVM.

- 1 Acti series.
- 2 Omnes persona in conditione posita censentur à Statuto vocata, etiamsi universa linea sit posita in conditione.
- 3 Vocatio filiorum, nepotum & descendendum censetur per vulgarem.
- 4 Filii in conditione positi ex Statuto censentur vocati vocatione activa non autem passiva.
- 5 Item censentur vocati ad solam portionem parentis, unde isto non succedente vocationem non habent.

### DISC. LXXVI.

Valerius Cincius instituto Ludovico filio, eo sine filiis, vel nepotibus legitimis decedente, substituit Clitiam filiam, ea sub lege, ut ejus vir familiam assumat, & in istius defectum vocavit Melchiorum & Philippum transversales, unde cum ex Ludovico fuissent superstitites quinque filii masculi & duæ feminae, sequuta omnium masculorum morte sine filiis, cum ex duabus feminis pariter mortuis fuissent superstitites Baro Joseph Matthæus, & N. Torres Archiepiscopus Salernitanus, isti præterdere ceperunt ad eorum favorem apertum esse fideicommissum in bonis dicti Valerij testatoris per Marium ultimum ex masculis defunctum in remotiorem agnatum de eadem familia titulo institutionis translatis, sed experientes prudenter ante litis susceptionem plurium Advocatorum consilium de stylo insimul congregatorum; In eo congressu, ego qui tanquam junior, post enarratum à causa Patrono factum, eram primus in votando, dicebam non levem contra requirentes ibidem præfentes ac audientes habere difficultatem.

Licet

LUCA  
ve  
mentis  
cat  
VI  
9